

dendo, vel an Stylus per conductum corticalem Germinis, auram illam fecundativam derivat ad basin s. receptaculum Germinis, ut exinde promanet una cum succo nutritivo plantæ sursum ex basi Floris ad Germen, simulque ad embryones seminum? *Resp.* posterius adfirmat Bannisteria ex propria figura & structura, ubi stylus lateraliter capsulæ versus basin seminis inseritur, cuiusque semen corculum gerit. Ex aliis forte idem videtur, ut in Nucibus, Amygdalis, ex cujus putaminis superficie interiore, ab altero latere, descendit quasi fibra h. e. vas, deferens auram seminalem, sursum revera ipsi putaminis substantiæ inserta excurrit in stylum.

An ergo verisimile est, basin floris continere receptaculum ejusmodi, pro excipienda hac genituræ aura, usque sursum vergat? ita credere fas est. Succum sursum ferri, nemini non notum est; sed deorsum quoque patet ex nectariis florum, quæ singulo mane guttas stillant, postea non, neque hoc exhalationi solis adscribendum puto.

An quoque flores, stylum gerentes unum, sed pluribus præditum stigmatibus, quæ plerumque singulis loculamentis respondent, exempto aliquo stigmate ante fecundationem, locus eidem proprius sterilefcit? Experimenta inquiri debet.

109. DEREDAMO planta scandens, foliis oppositis geminis; radiculis trifidis oppositis axillaribus.

Est Planta herbacea, arctissime truncis arborum adhærens, radiculis trifidis; inter ramos corticis adhærens. *Folia* opposita, geminata: *Folialis* uncialibus, lanceolatis, integerrimis, glabris. *Pedunculi* communes oppositi, $\frac{1}{2}$ uncia longitud. apice divisi in ramulos duos brevissimos. *Circhi* axillares (quos antea dixi radículas), breves, 4-2 lin. longitudine, medietate superiore tripartiti: laciniis teretibus, subulatis, incurvis, rigidis, acutis. *Flores* non vidi.

110. BANNISTERIA hodie supra descripta, differt ab altera Cumanensi (conf. Descr.) foliis minoribus, glaberrimis, ubique viridibus, non nitidis sed magis fere æqualibus; caule minore & magis volubili, ut & floribus in racemos minores digestis, nec ramulis æqualibus adeo brachiata; præterea capsulis singulis s. seminibus basi aliis prominentiis nullis, ipsa basi oblique truncata.